



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

In Festo Inventionis S. Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

IN FESTO
INVENTIONIS S. CRUCIS.

1.

Exaltari oportet filium hominis. Joan. 3.

Gemina fuit Christi exaltatio: prima, dum humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Altera, dum exaltavit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen &c. Verum secundam hanc exaltationem meruit per illam primam, & exemplo suo nos docuit, ut nos illam quæramus ferendo crucem & nosmetipsos humiliando. Est ergo operæ pretium, ut ex cathedra crucis discamus, quid sit humilitas Christiana. *Mense IX. Disc. 258. pag. 222.*

2.

Hic venit ad Jesum nocte. Joan. 3.

Omnibus, qui Jesum ex amore & benevolentia visitarunt, largam ille benevolentiam exhibuit; præcipuè Nicodemo, licet hic non die, sed nocte venerit ex respectu humano. Ex hac Christi bonitate erga visitatores suos discamus sæpius eum visitare, ubi SS. Sacramentum, vel imago Christi, aut S. Crucis Reliquiæ asservantur. *Mense X. Disc. 291. pag. 308.*

3.

3.

Exaltari oportet filium hominis. Joan. 3.

Non aliter etiam nos exaltabimur, nisi per crucem, & tribulationem. Christus ipse præiit, & oportuit hæc Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Non sinamus nos per impatientiam ab illius imitatione revocari, sed potius adhibeamus media, quibus impatientiam superemus. Superabimus autem, si cogitationem nostram à præsentē calamitate avertamus; aut illam nobis prodesse cogitemus, aut certè, si non calamitatem, saltem calamitatis ipsam tolerantiam nobis utilem futuram.

Menſe VI. Diſc. 168. pag. 258.

4.

Exaltari oportet filium hominis. Joan. 3.

Prompto se quivis animo offert ad ferendam pro Domino crucem, quamcunque ille imposuerit. Verùm dum res seriò agitur, dum afflictio ab amico perfido vel acerbo inimico infertur, non credimus eam à Deo venire, sed indignamur illis, quos videmus; non cogitamus, jubente vel permittente Deo nobis inflictam. Firmemus igitur in nobis considerationem hanc, quidquid nobis adversi acciderit, non potuisse accidere, nisi Deus ipse voluisset.

Menſe IV. Diſc. 110. pag. 232.

O 4

IN